



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 46. Wormatienses Catholici a Lutheranis sine judicio & modo vexati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

§. XLVI.

*Wormatienses Catholici a Lutheranis  
sine judicio & modo vexati.*

Hoc item anno Wormatienses Lutherani ex solo fidei odio, & vexandi studio Catholicis litem intentabant, quæsito inde prætextu, quod Catholici hujus Urbis Parochi Sacratissimam Hostiam vel in sacro, ut vocant, Ciborio vel Hierotheca clausam ad ægrotos pro more veteri deferrent, ac ædituus campanulæ pulsu vicinos ad adorandum & lucernis comitandum Numen Eucharisticum excitaret: cum autem quandoque Parochi urgente necessitatis casu has solemnitates adhibere non possent, sed comitante duntaxat ædituo sine lucernis, aut campanæ sonitu Sacerdos sacrum Viaticum sub vestibus occultatum deferre cogeretur; inde Wormatienses Lutherani Religionis gravamen procudendi occasionem arripiebant, & Anno 1721. die tertia Januarii velut de novitate apud Corpus Evangelicorum querebantur, quod præcipue Patres Dominicanii publice cum lucernis, & comitante populo ægrotos Sacro Viatico munirent. Verum hujus cavillationis nimium luculentæ vix ulla habeatur ratio:

ratio: æquiorem tamen querulandi an- Sæc.XVIII.  
sam sibi offerri putabant Lutherani, A.C. 1727.  
dum in Ecclesia Parochiali ad S. Mar-  
tinum, & in Templis Patrum Domi-  
nicanorum & Capucinorum Concio-  
natores e suggestu Catholicis denun-  
tiabant, quod deinceps Sacra Eucha-  
ristia semper ad infirmos ea publica  
honoris debiti testificatione deferenda  
esset, ut Sacerdotem præirent quidam,  
qui duas vel tres accensas faces, lam-  
padem & vas aquæ benedictæ una-  
cum cymbalo præferrent, ac in Ec-  
clesia trino campanæ pulsu fideles ad-  
monerentur, ut Sanctissimum Sacra-  
mentum inter preces & sacros hym-  
nos ad ægroti ædes, & inde ad Ec-  
clesiam comitarentur. Porro exter-  
num hunc ritum, quamvis per pluri-  
ma sæcula ante Lutheri incunabula in  
universa Ecclesia Catholica ubique &  
semper in usu fuisset, ceu novitatem  
summopere periculosam Wormatienses  
Sectarii depingere moliebantur; ut  
ergo saltem veri speciem huic com-  
mento conciliarent, fingebant primo,  
nec ante nec post tricennale bellum,  
nec etiam in Anno normali unquam  
Catholicorum Sacramentum publice  
ad ægrotos fuisse delatum, sed Pa-  
rochos sacram hostiam in Ciborio sub-  
veste occultatam per plateas ad infir-

Qq 4 mo-

Sæc. XVIII. morum ædes detulisse. Subornabant  
A. C. 1727. secundo quosdam, qui id ipsum testa-  
rentur. Attamen haud plures repe-  
rire poterant, quam duos Viros & tres  
fœminas, qui tamen omnes duntaxat  
testabantur, ægrotos Sacro Viatico  
clam sine majore solemnitate una al-  
terave vice fuisse munitos, & populum  
ad eandem publicam venerationem,  
quæ in omnibus Catholicis locis SS.  
Sacramento semper exhiberi confue-  
vit, per Concionatores fuisse admoni-  
tum: Frivola non minus ac ridicula  
hac testimoniū depositione fretus Worma-  
tiensis Magistratus die 11. Martii 1727.  
Syndicū & scribam ad Episcopalem  
Urbis Gubernatorem Ecclesiæ Cathed-  
ralis Decanum L. B. de Hoheneck de-  
putabat, qui ab eodem sciscitarentur,  
an ipsius vel cuius demum jussu hæc  
nōvitas Religiosæ ac paci Westphalicæ,  
necnon continuatæ praxi adversa fui-  
set introducta? postea declarabant, se  
adversus eam solemniter protestari, &  
ni Magistratus oppositio locum inveni-  
ret, totam rem ad Corpus Evangelii-  
corum delaturos ceu enorme Religio-  
nis gravamen, ex quo periculosæ se-  
quelæ & perniciosi tumultus, uti in aliis  
Civitatibus Lutherani excitaſſent, oriri  
possent. Ad hæc Gubernator respon-  
dit, hanc cauſam ſui fori non eſſe:  
quo-

quocirca Deputati Reverendissimum  
Suffraganeum & Generalem Episcopi Sæc. XVIII.  
A.C. 1727.  
Vicarium convenere, suamque næniam  
apud eum decantarunt. Hic vero eis-  
dem reposuit, nil novi fuisse inventum,  
sed ritum, qui ab aliquibus Parochis  
hucusque ex negligentia vel alia ex  
causa quandoque intermissus esset, in-  
novatum, ac denique in usum esse de-  
ductum, sibi etiam optime cognitum  
esse, quod exiguo, quo Wormatiæ  
egisset tempore, plusquam trigesies  
Sanctissimum Sacramentum publice &  
solemniter ad ægrotos, & nominatim  
ad Hospitissam nomine Benderin (\*),  
per Urbis plateas fuerit delatum; ipsum  
etiam veteranum Ecclesiæ Cathedralis  
Parochum nomine Wallreutherum te-  
stari posse, quod sæpiissime Sacram Ho-  
stiam publice ad infirmos detulisset;  
nullam ergo justam contra Catholicos  
querendi caussam habere Magistratum.  
Hoc responso haud contenti Lutherani  
suam querelam falsis testimoniis & nar-  
ratis suffultam die vigesima octava  
Martii ad Corpus, ut vocant Evange-  
licorum, detulere: illud igitur die un-  
decima Octobris ad Episcopalem Le-

Qq 5                    ga-

(\*) Hæc ipsa erat, quam Lutherani clam  
sacro Viatico munitam fuisse, filii sui testi-  
monio comprobare aui sunt.

Sæc. XVIII. gatum de hac novitate certiorem red-  
A. C. 1727. didit, petiitque, ut eam Franciscus  
Ludovicus Trevirensis Elector tum Wormatiensis Episcopus abrogaret.

## §. XLVII.

*Wormatiensium Lutheranorum querelæ ad Corpus Evangelicorum per testes falsitatis confitæ.*

**U**t vero hujus accusationis inanitas, falsitasque manibus palpari posset, Wormatiensis Episcopus per juratos testes explorari jussit, an ante & post Urbem a Gallis incensam, necnon Baddensem pacem Sacrum Viaticum in Ciborio publice a Sacerdotibus rocheto & stola indutis, præeunte ædituo cum lucerna & campanula non modo per totam urbem sed & ante excubias, & Lutheranas Ecclesias omni tempore, nemine contradicente ad ægrotos deportatum fuerit? Igitur die vigesima prima Maij coram Joanne Christophoro Bingh Pontificio Apostolico ac Imperiali Notario publico ac jurato, & Francisco Steinmetz necnon Joanne Georgio Schütz testibus requisitis testes audiuntur, omnes Viri ætate graves, nulla autem muliercula: Comparent præprimis Antonius Roth Pictor, & per 20 annos ædituus in Parochiali

Ec.